



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Frotarivm Archiepiscopvm.
Frotarium ab ecclesia Burdigalensi a paganis deuastata transfert ad
Bituricensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA XXXVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD FROTARIVM ARCHIEPISCOPVM,

Frotarium ab ecclesia Burdigalensi a paganis deuastata
transfert ad Bituricensem.

*Reuerentissimo & sanctissimo confratri nostro Frotario, dudum
quidem Burdigalensi, nunc autem Bituricensi
archiepiscopo.*

AD hoc nos diuina prouisio supernaque moderatio ecclesis suis voluit praesesse rectores, vt dispersa congregare, & seruare congregata summo studio procuremus, non solum earumdem ecclesiarum sollicitudinem, sed & ipsorum quoque rectorum habeamus industriam, & exerceamus soleritiam: quatenus sicut rectoribus destitutis ecclesiis alios subrogantes consulimus, ita rectoribus vacantibus ecclesiis Domini committentes, prouidam curam nos earumdem ecclesiarum gerere demonstremus: maxime his, qui cum robusti præliatores Domini sint, intra otiositatis angustiam arceri renunt, & per hoc expeditius contra vitia certaminum exercitia querunt. Quia igitur Burdigalensem ecclesiam, totamque pene sub eius habitam reginine dioecesim, ita pagorum frequentes gladii, prædæque continua consumpsit irruptio, vt pene omne illic episcopale vacet officium; necessario præuidimus, Dei omnipotentis auctoritate, beatorumque Petri ac Pauli apostolorum principum, fraternitatem tuam, cuius vacatio defectus est fidei, & fere virtutum omnium detrimenta, in ecclesia Bituricensi, quæ vacare pastorali cura dinoscitur, ab hac praesenti decima inductione preferre simul & incardinatam praeficere, habito in eadem Bituricensi ecclesia totius iure metropoleos ac dioeceseos priscis temporibus a sacris Canonibus præstituto, & in illa ecclesia eatenus conservato: ita vt pastor eiusdem sanctæ Bituricensis ecclesie, rector & antistes ex hoc re vera dicaris, habearis, & Christo propitio percolaris, ea quæ Dei sunt iugiter agens, & utilitati proximorum semper intendens. Qui vero contra huius apostolici priuilegii nostri statutum, quod

necessitate barbarica , & dispensatione cogente loci & temporis , exemplo etiam maiorum protulimus , agere forte tentauerit , diuinis mysteriis priuetur , quamdiu minime resipiscens , apostolico præcepto frustra permanferit inobediens . Data &c. indictione decima .

EPISTOLA XXXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD DOCIBILEM ET IOANNEM.

Hortatur vt det operam , ne Christiani fœdus cum Saracenis faciant .

Ioannes episcopus Docibili & Ioanni Hypatis.

DE VOTI ONI tuæ pro labore fidei Christianæ , quam excolis , gratiarum actionibus persolutis , iterum & iterum exhortamur , vt magis ac magis fatagere & decertare , & cœptum laborem ad perfectam ducere actionem procures : vt Christiani nominis viri paganorum fœdera fugiant , & solum in Deum , qui eos creauit , & non in dia-boli membra , quæ sunt filii fornicationis & vasa iræ , spem suam ponere discant . Quod cum egeris , saluabis animam tuam , & operies multitudinem peccatorum . Dicit enim beatus Iacobus : *Qui conuersti fecerit peccatorem ab errore viae suæ , saluabit animam suam a morte , & operiet multitudinem peccatorum .* Data quinto Idus Aprilis , indictione x .

EPISTOLA XXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PVLCHAREM PRÆFECTVRIVM AMALFITANVM.

Monet vt fœdus cum Saracenis initum dissoluendum curet .

Ioannes episcopus Pulchari Præfecturio Amalfitano.

ADMONEMVS vt in omni virtute tua & sapientia tua labores atque decertes , vt illi homines paganorum disrumpere pacta procurent . Quod si fecerint , nil vobis vel illis denegabimus eorum quæ rite facere possumus , & pro nulla causa vel homine nos a communi vestra & eorum salute seu auxilio separabimus , nec illos aliquando dimittamus : at vero si illi hoc facere recusauerint , & con-

G iij

De Docibili.
le Leo episc.
Ostiensis,
lib. i. c. 14.

Jacob. 5.